

HANS H. ØRBERG

# LINGVA LATINA

PER SE ILLUSTRATA

**COLLOQVIA PERSONARVM**

DOMVS LATINA

ANNO MMV

COLLOQUIA PERSONARVM

© Hans H. Ørberg 1998

Omnia proprietatis iura reservantur

Ex officina typographica *Special-Trykkeriet Viborg*  
anno 1998, 2001, 2005

Imagines delineavit *Peer Lauritzen*

ISBN 87-997016-6-9

LINGVA LATINA

PER SE ILLUSTRATA

PARS I: FAMILIA ROMANA

PARS II: ROMA AETERNA

INDICES

GRAMMATICA LATINA

EXERCITIA LATINA I & II

COLLOQUIA PERSONARVM

SERMONES ROMANI

Plautus: AMPHITRYO COMOEDIA

CATILINA. Sallustius & Cicero

Caesar: DE BELLO GALLICO

Petronius: CENA TRIMALCHIONIS

Domus Latina, *Skovvangen 7*

*DK-8500 Grenaa, Dania*

[www.lingua-latina.dk](http://www.lingua-latina.dk)

*AD DISCIPVLVM*

Colloquia quae hoc libro continentur legenda sunt post singula capitula eius libri cui titulus est *FAMILIA ROMANA*: Colloquium I post Capitulum I, Colloquium II post Capitulum II, item cetera.

Discipulus qui hunc ordinem sequetur in legendo nullas declinationes sibi ignotas inueniet nec ulla vocabula nova praeter pauca quae illustrantur in marginibus paginarum aut per se intelleguntur. Itaque his amicorum Romanorum colloquiis legendis discipulus studiosus res grammaticas necessarias et vocabula Latina frequentissima, quae in ipsis capitulis iam cognovit, etiam certius discet ac memoria retinebit.

*Hans H. Ørberg*

Suavis autem est narratio quae habet  
... colloquia personarum

CICERO, *Partitiones oratoriae* 32

## INDEX COLLOQVIORVM

Colloquium I	<i>Mārcus, Iūlia</i>	7
Colloquium II	<i>Dēlia, Libanus</i>	9
Colloquium III	<i>Dēlia, Syra, Aemilia, Iūlia</i>	10
Colloquium IV	<i>Syra, Dāvus, Iūlius</i>	12
Colloquium V	<i>Iūlius, Dāvus, Mēdus</i>	14
Colloquium VI	<i>Mēdus, Iūlius, Dāvus, Syrus, Lēander, Ursus</i>	16
Colloquium VII	<i>Dōrippa, Lȳdia, Mēdus</i>	18
Colloquium VIII	<i>Iūlius, Aemilia, Flōra, Iūlia</i>	20
Colloquium IX	<i>Faustīnus, Rūfus</i>	23
Colloquium X	<i>Iūlia, Syra</i>	25
Colloquium XI	<i>Sextus, Fabia</i>	28
Colloquium XII	<i>Mīles, Cornēlius, Mēdus</i>	30
Colloquium XIII	<i>Medicus, Syrus, Iūlius, Aemilia, Syra</i>	33
Colloquium XIV	<i>Aemilia, Iūlius</i>	36
Colloquium XV	<i>Mārcus, Iūlia, Aemilia, Iūlius, servī</i>	39
Colloquium XVI	<i>Dōrippa, Lepidus, Lȳdia, Mēdus</i>	41
Colloquium XVII	<i>Iūlia, Mārcus</i>	45
Colloquium XVIII	<i>Sextus, Mārcus, Titus</i>	49
Colloquium XIX	<i>Fabia, Cornēlius</i>	53
Colloquium XX	<i>Diodōrus, Tlēpolemus, Symmachus</i>	57
Colloquium XXI	<i>Diodōrus, Symmachus, Sextus</i>	63
Colloquium XXII	<i>Dōrippa, Sanniō, Albīnus</i>	67
Colloquium XXIII	<i>Iānitor, Tlēpolemus, Dāvus</i>	70
Colloquium XXIV	<i>Diodōrus, Symmachus, Tlēpolemus</i>	72

## PERSONAE

*Aemilia*, uxor Iūlii

*Albīnus*, tabernārius

*Cornēlius*, dominus

*Dāvus*, servus Iūlii

*Diodōrus*, lūdi magister

*Dōrippa*, amīca Lȳdiae

*Fabia*, uxor Cornēlii

*Faustīnus*, pāstor

*Flōra*, puella

*Iānitor* Iūlii

*Iūlia*, puella, filia Iūlii et Aemiliae

*Iūlius*, dominus

*Lēander*, servus Iūlii

*Lȳdia*, amīca Mēdi

*Mārcus*, puer, filius Iūlii et Aemiliae

*Mēdus*, servus Iūlii

*Mīles* Rōmānus

*Quīntus*, puer, filius Iūlii et Aemiliae

*Rūfus*, agricola

*Sanniō*, iānitor

*Sextus*, puer, filius Cornēlii et Fabiae

*Symmachus*, medicus


*Syra*, ancilla Aemiliae

*Syrus*, servus Iūlii

*Titus*, puer

*Tlēpolemus*, servus Diodōri

*Ursus*, servus Iūlii



COLLOQVIVM PRIMVM

*Persōnae: Mārcus, Iūlia*

Mārcus: “Ubi est Syria, Iūlia?”

Iūlia: “Suria est in Asiā.”

Mārcus: “Nōn *Suria*, sed Syria in Asiā est.”

Iūlia: “Siria...”

Mārcus: “Ō Iūlia! Syria, nōn *Siria*: littera secunda est *y*, nōn *i*.”

Iūlia: “Nōn *i*, sed *y*: *i-y*, *i-y*. Num *y* littera Latīna est?”

Mārcus: “*Y* nōn est littera Latīna, sed littera Graeca. *Syria* est vocābulum Graecum.”

Iūlia: “*Siria*, Syria: nōn *Siria*, sed Syria.”

Mārcus: “Ubi est Syria?”

Iūlia: “Syria in Asiā est.”

Mārcus: “Ubi est Aegyptus?”

Iūlia: “Aegyptus...”

Mārcus: “Aegyptus!”

Iūlia: “Aegyptus quoque in Asiā est.”

Mārcus: “In Asiā? Aegyptus nōn est in Asiā!”

Iūlia: “Aegyptus in Āfricā est — sed Barabia est in Asiā.”

Mārcus: “Quid? Barabia? In Asiā nōn est Barabia!”

Iūlia: “Estne Barabia in Āfricā?”

Mārcus: “Barabia nōn est in Āfricā.”

Iūlia: “Num Barabia in Eurōpā est?”

Mārcus: “Barabia in Eurōpā, in Āfricā, in Asiā *nōn* est!”

Iūlia: “Sed ubi *est* Barabia?”

Mārcus: “Arabia, *nōn* Barabia, in Asiā est. In *Arabiā* littera  
prīma est *a*, *nōn* *b*.”

Iūlia: “Arabia, Aegyptus, Syria. Syria et Arabia sunt in Asiā, sed  
Aegyptus in Āfricā est. Nīlus quoque in Āfricā est.”

Mārcus: “Quid est Nīlus?”

Iūlia: “Nīlus magnus fluvius est.”

Mārcus: “Quid est Sparta?”

Iūlia: “Sparta est magnum oppidum Graecum.”

Mārcus: “Estne Crēta oppidum Graecum?”

Iūlia: “Est.”

Mārcus: “Nōn est!”

Iūlia: “Quid est Crēta?”

Mārcus: “Crēta est īnsula Graeca. Crēta et Naxus et Rhodus  
īnsulae Graecae sunt. In Graeciā sunt multae īnsulae. Estne  
Syria īnsula Graeca?”

Iūlia: “Nōn est.”

Mārcus: “Quid est Syria?”

Iūlia: “Siria est...”

Mārcus: “Syria!”

Iūlia: “Syria est... vocābulum Graecum!”



COLLOQVIVM SECVNDVM

*Persōnae: Dēlia, Libanus*

Dēlia ancilla est. Libanus est servus.

Libanus: “Quae est domina tua, Dēlia?”

Dēlia: “Domina mea est Aemilia. Iūlius dominus meus est. Quis est dominus tuus?”

Libanus: “Dominus meus est Cornēlius, et Fabia est domina mea. Estne magna familia Iūlii?”

Dēlia: “Est magna.”

Libanus: “Mea quoque familia magna est.”

Dēlia: “Tua familia? Nōn tua, sed Cornēlii familia est. Num cēteri servī Cornēlii tui servī sunt?”

Libanus: “Familia dominī mei est familia mea! Quot servī sunt in familiā tuā?”

Dēlia: “Centum servī ancillaeque.”

Libanus: “Liberī quot sunt?”

Dēlia: “Trēs: duo filii et ūna filia. In familiā Iūlii sunt multī servī et paucī liberī. Quot sunt liberī in familiā Cornēlii?”

Libanus: “In familiā Cornēlii nōn trēs, sed duo liberī sunt: ūna filia, Cornēlia, et ūnus filius, Sextus. Numerus liberōrum parvus est, sed numerus servōrum nōn est parvus.”

Dēlia: “Quot servī et quot ancillae sunt in familiā dominī tui?”

Libanus: “Decem servī decemque ancillae.”

decem = x (10)

Dēlia: “Decem parvus numerus est.”

Libanus: “Sed decem et decem sunt vīgintī. Vīgintī nōn est parvus numerus. Familia mea est magna!”

vīgintī = xx (20)

Dēlia. “Nōn magna, sed parva est — neque tua est familia!”





COLLOQVIVM TERTIVM

*Persōnae: Dēlia, Syra, Aemilia, Iūlia*

Puella dormit. Quae est puella quae dormit? Puella quae dormit est Iūlia, filia Aemiliae.

Ancilla cantat: “Lalla.” Quae est ancilla quae cantat? Ancilla quae cantat est Dēlia. Cūr Dēlia cantat? Dēlia cantat quia laeta est. Syra Dēliam audit. Syra et Dēlia sunt ancillae Aemiliae.

Syra: “St, Dēlia! Puella mea dormit.”

Dēlia: “Puella tua? Quae est puella tua?”

Syra: “Est Iūlia.”

Dēlia: “Iūlia nōn est tua puella, Iūlia puella Aemiliae est.”

Syra: “Iūlia est filia Aemiliae — et mea quoque puella est.”

Dēlia: “Lalla, lalla.” Ancilla laeta cantat.

Syra: “Ssst! Iūlia tē audit.” Syra irāta est.

Dēlia: “Hahaha! Iūlia mē nōn audit, quia dormit. Lalla, lalla, lalla!” Dēlia rīdet et cantat.

Iūlia Dēliam audit. Iam nōn dormit puella.

Venit Aemilia, domina ancillārum. Dēlia iam nōn cantat neque rīdet, quia dominam videt.

Aemilia, quae Iūliam nōn videt, Syram interrogat: “Ubi est Iūlia, Syra?”

Dēlia respondet: “Fīlia tua nōn hīc est, domina.”

Syra: “Domina nōn tē, sed mē interrogat.”

Aemilia interrogat Syram: “Cūr filia mea hīc nōn est?”

Syra: “Iūlia hīc nōn est, quia dormit.”

Iūlia, quae iam nōn dormit, Syram vocat: “Syra!”

Syra puellam nōn audit, sed Aemilia eam audit.

Aemilia: “Iūlia nōn dormit; tē vocat.”

Syra interrogat: “Quem Iūlia vocat?”

Aemilia respondet: “Tē.”

Iūlia Aemiliam vocat: “Mamma! Mam-ma!”

Iam Syra Iūliam audit.

Syra: “Iūlia nōn mē, sed tē vocat, domina.”

Iūlia venit et Aemiliam interrogat: “Cūr Syra nōn venit?”

Aemilia: “Nōn venit, quia tē nōn audit.”

Syra: “Ō, hīc est mea Iūlia puella.”

Aemilia: “Mea puella est Iūlia, nōn tua. Sed cūr nōn dormit?”


Nōn Syra, sed Iūlia respondet: “Quia ancilla cantat et rīdet.”

Aemilia irāta Syram interrogat: “Quae est ancilla improba quae cantat et rīdet?”

Syra nōn respondet. Cūr nōn respondet Syra? Nōn respondet, quia dominam videt irātam. Syra ancilla proba est.

Iūlia: “Iam nōn cantat ancilla neque rīdet.”

Aemilia: “Neque iam dormit mea puella!”



COLLOQVIVM QVARTVM

*Persōnae: Syra, Dāvus, Iūlius*

Dāvus, servus Iūlii, laetus est, quia nummum habet in sacculō suō. Syra eum laetum videt.

Syra: “Quid est, Dāve?”

Dāvus: “Ecce sacculus meus, Syra.”

Syra sacculum Dāvī videt, nummum in sacculō nōn videt.

Syra: “Vacuus est sacculus.”

Dāvus: “Nōn est. In sacculō meō est pecūnia.”

Syra: “Quot nummī sunt in sacculō tuō?”

Dāvus: “Ūnus nummus. Ecce nummus meus.”

Syra: “Ūnus tantum nummus? Nōn magna est pecūnia tua! In sacculō Mēdi nōn ūnus tantum, sed multī nummī sunt.”

Dāvus: “Sed meus est nummus quī in sacculō meō est.”

Syra: “Quid? Nōnne Mēdi est pecūnia quae est in sacculō eius?”

Dāvus, quī probus est servus, tacet neque Mēdum accūsāt.

Servus probus servum nōn accūsāt.

Syra: “Respondē, Dāve!”

Dāvus: “Mēdum interrogā!”

Syra: “Sed is nōn adest. Ubi est Mēdus?”

(Iūlius Mēdum vocat: “Mēde! Venī!”)

Dāvus: “Mēdus abest. Audī! Dominus eum vocat.”


(Iūlius rūrsus Mēdum vocat: “Mē-de! Venī, improbe serve!”)

Iam Syra dominum audit.

Syra: “Cūr dominus irātus est?”

Dāvus nōn respondet.

Syra: “Respondē, Dāve! Cūr irātus est dominus?”



Iūlius venit. Syra dominum irātum — et baculum eius — videt.

Iūlius: “Ubi est Mēdus, Dāve?”

Dāvus: “Nōn est hīc.”


Iūlius: “Ō, servum improbum...!”

Syra: “Quid est, domine? Nōnne servus probus est Mēdus?”

Iūlius: “Num probus est servus quī pecūniam dominī in sacculō suō habet?”

Syra tacet.

Dominus irātus discēdit.



COLLOQVIVM QVINTVM

*Persōnae: Iūlius, Dāvus, Mēdus*

In oppidō Tūsculō magnum forum est. In forō est templum antiquum. Iūlius in forō est cum quattuor servīs, neque Mēdus in iīs est.

Ubi est Mēdus? Mēdus quoque in oppidō Tūsculō est, neque is in forō est cum dominō, sed sine dominō in templō. Mēdus sōlus est in magnō templō vacuō. Quid agit servus Iūlii in templō? Nummōs numerat.

Mēdus: “Quot nummī sunt in sacculō meō? Ūnus, duo, trēs, quattuor, quīnque, sex, septem, octō, novem, decem..... nōnāgintā.

Ecce nōnāgintā nummī: magna pecūnia mea est!”

“...mea est!” respondet templum vacuum.

Mēdus: “Quid? Num dominus adest?”

“...adest” respondet templum vacuum.

Sed sōlus est servus in templō. Nūllus dominus verba eius audit.

Nōn in templō, sed in forō est Iūlius. Quid agit Iūlius in forō

Tūsculānō? Dominus servum suum quaerit.

Iūlius imperat: “Quaere Mēdum, Dāve!”

Dāvus: “Ubi?”

Iūlius: “Quaere eum in templō!”

nōnāgintā = xc (90)

Tūsculānus -a -um  
< Tūsculum

Dāvus ab Iūliō discēdit.

Iam Dāvus in templō est et Mēdum quaerit.

Dāvus Mēdum in templō videt.

Dāvus: “Ō Mēde...!”

Mēdus: “St, tacē, Dāve! Tacē et discēde!”

Dāvus: “Dominus in oppidō est et tē quaerit.

Īrātus est dominus.”

Mēdus: “Mēne quaerit dominus? Cūr mē quaerit?”

Dāvus: “Quia nummī eius in sacculō tuō sunt!

Dominus nummōs suōs quaerit.”

Mēdus: “Iūlius meus dominus iam nōn est. Neque nummī eius in sacculō meō sunt.”

Dāvus: “Ō improbe serve!”

Mēdus: “Age, discēde, Dāve — et tacē! Improbus est servus quī servum accūsāt.”

Dāvus tacet, neque ab eō discēdit.

Mēdus ex sacculō suō sūmit duōs nummōs.

Mēdus: “Ecce nummī tuī, probe serve!”

Dāvus: “Nōn meī sunt nummī, neque tuī, sed Iūliī sunt.”

Dāvus nummōs nōn sūmit, et sōlus discēdit ex templō.



In forō Iūlius Dāvum interrogat: “Estne Mēdus in templō?”

Dāvus tacet.

Iūlius: “Respondē, Dāve! In templōne est servus meus?”

templō-ne...?

Dāvus respondet: “In templō est... servus tuus nullus. (Mēdus servus tuus iam nōn est!)”

Iūlius, quī p̄ma tantum verba Dāvī audit, ex oppidō discēdit sine Mēdō.

Mēdus sine dominō ex oppidō discēdit.

COLLOQVIVM SEXTVM


*Persōnae: Mēdus, Iūlius, Dāvus, Syrus, Lēander, Ursus*



Via Latīna est longa, sed Mēdus, quī viā Latīnā Tūsculō Rōmam ambulat, fessus nōn est, nam is ambulat ad Lȳdiam amīcam, quae Rōmae habitat. Lȳdia Mēdum amat et ab eō amātur.

Mēdus cantat: “Nōn via longa est Rōmam...”

Mēdus autem sōlus ambulat; itaque id quod cantat ā nullō audītur.



Via quae est inter Tūsculum et vīllam Iūlii nōn tam longa est quam via Latīna, sed servī quattuor quī Tūsculō ad vīllam ambulant fessī sunt, quia lectīcam et saccōs portant. Duo servī, Dāvus et Ursus, lectīcam cum dominō portant. Saccōs portant Syrus et Lēander.

Iūlius, quī lectīcā vehitur, servōs videt fessōs et imperat: “Pōnite lectīcam in viā, servī!”

Servī fessī lectīcam in viā pōnunt neque iam ambulant. Syrus et Lēander saccōs pōnunt.

Dāvus: “Phū! Via longa est ab oppidō ad vīllam!”

Syrus: “Nōn longa est via, sed saccī magnī sunt.”

Lēander: “Tuus saccus est parvus. Ecce saccus meus magnus!

Dāvus autem lectīcam cum dominō portat, nōn saccum.”

Syrus: “Dāvus nōn sōlus, sed cum Ursō lectīcam portat.”



Ursus: “Neque vacua est lectīca! Dominus nōn tam parvus est quam saccus tuus, Syre.”

Iūlius, quī Dāvum fessum videt, imperat: “Iam saccum Syrī portā, Dāve! Urse, sūme saccum Lēandri! Agite, Syre et Lēander, lectīcam portāte!”

Servī pārent: Dāvus et Ursus saccōs sūmunt, lectīcam sūmunt Syrus et Lēander.

Iūlius imperat: “Ambulāte, servī!”

Iam rūsus ambulant servī. Syrus et Lēander lectīcam cum dominō portant, et saccī portantur ab Ursō et Dāvō: Ursus saccum magnum portat, saccus parvus ā Dāvō portātur.

Iam Dāvus nōn tam fessus est quam Syrus.

Syrus: “Phū! Via longa est ab oppidō ad villam!”

Dāvus rīdet.

Ursus (ad Dāvum): “Cūr nōn ambulat dominus post lectīcam?”

Dāvus: “Dominus fessus vehitur, nōn ambulat, quia nōn est servus.”

Ursus: “Et servī fessī ambulant, nōn vehuntur, quia dominī nōn sunt.”

Lēander: “Num fessus est dominus, quī lectīcā vehitur?”

Dāvus: “Tacē, Lēander! Dominus tē audit.”

Iūlius stertit: “Ssst–rrrch, sst–rrrch...!”

Lēander: “Ecce dominus iam dormit, quia longā viā fessus est! Is mē nōn audit.”

Verba servōrum ā Iūliō nōn audiuntur, nam dominus fessus iam dormit in lectīcā! Dominus quī dormit ā servīs nōn timētur.



COLLOQVIVM SEPTIMVM

*Persōnae: Dōrippa, Lȳdia, Mēdus*

Dōrippa, quae amīca Lȳdiae est, amīcam suam interrogat: “Quis est amīcus tuus?”

Lȳdia respondet: “Amīcus meus est Mēdus.”

Dōrippa: “Estne vir Rōmānus?”

Lȳdia: “Nōn Rōmānus, sed Graecus est amīcus meus.”

Dōrippa: “Habitatne Rōmae?”

Lȳdia: “Mēdus nōn Rōmae, sed prope Tūsculum habitat.”

Dōrippa: “Quid est Tūsculum?”

Lȳdia: “Tūsculum est oppidum in viā Latīnā nōn procul ā Rōmā.  
Mēdus in villā prope Tūsculum habitat.”

Dōrippa: “Villamne habet amīcus tuus?”

Lȳdia: “Nōn Mēdus, sed dominus eius habet villam.”

Dōrippa: “Āh! Servus est amīcus tuus! Meus amīcus, Lepidus, nōn est servus. Pater eius villam habet et magnam pecūniam.”

Lȳdia: “Mēdus bonus servus est et bonus amīcus, quī mē sōlam amat.”

Dōrippa: “Cūr amīcus tuus Rōmam ad tē nōn venit?”

Lȳdia nōn respondet.

Dōrippa: “Quia in villā multae sunt ancillae fōrmōsae...”

Lȳdia: “Quid?”

Dōrippa: “Amīcus tuus nōn sōlum tē, sed etiam ancillam amat!”

Lȳdia: “Tacē, Dōrippa!”

Pulsātur ōstium.

Lȳdia: “Intrā!”

Mēdus ōstium aperit et intrat.

Mēdus: “Salvē, mea Lȳdia! Ecce amīcus tuus,  
quī sōlus Rōmam ad tē venit.”

Lȳdia: “Ō amīce, salvē!”

Mēdus laetus ad Lȳdiam adit et eī multa ōscula  
dat. Lȳdia verbīs et ōsculis Mēdī dēlectātur.

Lȳdia: “Ecce Dōrippa. Salūtā eam!”

Mēdus sē vertit ad Dōrippam eamque salūtāt: “Salvē, Dōrippa!”

Dōrippa Mēdum salūtāt: “Salvē, serve!”

Mēdus Lȳdiam interrogat: “Estne Dōrippa ancilla tua?”

Lȳdia: “Dōrippa nōn est ancilla, neque amīcus eius servus est.”

Mēdus: “Neque tuus amīcus servus est, Lȳdia.”

Lȳdia: “Quid? Ubi est dominus tuus?”

Mēdus: “Tūlius in villā est apud servōs suōs — neque is iam  
meus dominus est!”

Lȳdia laeta sē vertit ad Dōrippam: “Audī, Dōrippa: amīcus  
meus iam servus nōn est.”

Dōrippa: “Neque ancilla est amīca tua!”

Dōrippa īrāta per ōstium exit. In viā ante ōstium  
videt Lepidum, amīcum suum. Lepidus autem

Dōrippam nōn salūtāt neque ab eā salūtātur,  
nam is cum ancillā fōrmōsā in viā ambulat!

Lepidus ancillae ōsculum dat!

Dōrippa discēdit. In oculīs eius lacrimae sunt.





COLLOQVIVM OCTAVVM

*Persōnae: Iūlius, Aemilia, Flōra, Iūlia*

Ecce Iūlius et Aemilia in forō Tūsculānō. Forum plēnum est virōrum et fēminārum quī emunt aut vēndunt, in hīs Flōra, puella fōrmōsa, quae rosās vēndit. Aemilia rosās videt.

Iūlius  
Iūli! (voc)

Aemilia: “Aspice rosās, Iūli!”

Iūlius: “Quās rosās?”

Aemilia: “Quās illa puella vēndit.” Puellam digitō mōnstrat.

Iūlius puellam aspicit.

Iūlius: “Fōrmōsa est puella.”

Flōra clāmat: “Ecce rosae! Emite rosās!”

Aemilia cum Iūliō adit ad Flōram, quae eōs salūtat: “Salvēte, domine et domina! Aspiciate hās rosās!”

Aemilia: “Ō, quam pulchrae sunt rosae tuae!”

noster -tra -trum  
= meus et tuus

Iūlius: “Hortus noster plēnus est rosārum.”

Aemilia: “Sed illae rosae quae sunt in hortō nostrō nōn tam pulchrae sunt quam hae.”

Iūlius: “Neque filia nostra tam pulchra est quam haec puella.”

Aemilia: “Tacē, Iūli! Rosās aspice, nōn puellam!”

Flōra ad Iūlium rīdet. Aemilia nōn rīdet.

Iūlius ūnam rosam sūmit et puellam interrogat: “Quantum est pretium huius rosae?”

Aemilia: “Nōn ūnam tantum, sed multās rosās eme, Iūli!”

Flōra Iūliō et Aemiliae decem rosās ostendit: “Ecce decem rosae. Pretium hārum rosārum est duo sēstertii tantum.”

Iūlius: “Id magnum pretium nōn est. Ecce duo sēstertii.”

Iūlius Flōrae duōs sēstertiōs dat. Puella nummōs sūmit et Iūliō decem rosās vēndit. Iūlius rosās sūmit et Aemiliae dat.

Iūlius: “Accipe hās rosās ā virō tuō, qui tē amat, Aemilia!”

Aemilia laeta rosās accipit, et virō suō ōsculum dat.



Iūlius et Aemilia ad villam suam adveniunt et ā Iūliā laetā salūtantur: “Salvēte, pater et māter!”

Iūlius et Aemilia: “Salvē, Iūlia!”

Iūlia, quae venit ex hortō, decem rosās pulchrās ante sē tenet.

Iūlia: “Ecce rosae. Nōnne pulchrae sunt?”

Aemilia: “Ō, quam pulchrae sunt rosae tuae! Unde sunt illae rosae?”

Iūlia: “Ex hortō sunt. Accipe rosās, mamma!”

Iūlia Aemiliae decem rosās dat.

Iūlia: “Iam nōn meae, sed tuae sunt.”

Aemilia laeta rosās accipit, et filiae suae ōsculum dat.

Iūlia: “Pretium decem rosārum nōn est ūnum ōsculum, sed decem!”

Iūlius: “Id magnum pretium est!”

Aemilia rīdet et filiae suae decem ōscula dat.

Iūlius: “Māter tua aliās decem rosās habet. Ecce rosae eius.” Ex lectīcā decem rosās sūmit et Iūliae ostendit. Illae rosae iam nōn tam pulchrae sunt quam in forō, quia in aquā nōn sunt.

Iūlia rosās aspicit et interrogat: “Unde sunt illae rosae?”

Iūlius: “Ex forō Tūsculānō, ubi puella fōrmōsa rosās vēndit.”

Iūlia: “Quantum est pretium illārum rosārum?”

Iūlius: “Duo sēstertii — et ūnum tantum ōsculum!”

Iūlia: “Duo sēstertii? Id est magnum pretium! In hortō nostrō sunt mīlle rosae, quārum pretium nūllum est.”

Aemilia: “Num decem ōscula nūllum est pretium?”

Iūlia: “Cūr pater, quī hortum habet plēnum rosārum, aliās rosās emit ā puellā Tūsculānā? Nōnne rosae hortī nostrī tam pulchrae sunt quam eae quae tantō pretiō in forō emuntur?”

Iūlius Aemiliam aspicit, quae nōn respondet.

Iūlius: “Respondē, Aemilia! Iūlia tē interrogat.”

Aemilia: “Sine aquā rosae nōn tam pulchrae sunt...”

Iūlia Iūlium interrogat: “Nōnne filia tua tam pulchra est quam puella quae rosās vēndit?”

Aemilia Iūlium aspicit, quī nōn respondet.

Aemilia: “Respondē, Iūli! Iūlia tē interrogat.”

Iūlius: “Filia mea tam pulchra est quam rosa...”


Iūlia: “Num illa puella tam pulchra est?” Iūlius tacet.

Aemilia: “Age, sūme rosās meās vīginti, Iūlia, eāsque in aquā pōne!”

Iūlia vīginti rosās sūmit et cum iīs abit.

Iūlius: “Pretium decem rosārum nōn est ūnum ōsculum tantum, sed decem ōscula!”

Aemilia rīdet et Iūliō quoque decem ōscula dat.



COLLOQVIVM NONVM

*Persōnae: Faustīnus, Rūfus*

Faustīnus, pāstor Iūlii, abest ab ovibus suis, quia ovem nigram in silvā quaerit. Ovēs sine pāstōre in campō errant.

Ecce Faustīnus cum cane suō ex silvā venit. Pāstor ovem nigram umerīs portat.

Canis lātrat: “Baubau!”

Ovēs canem audiunt et ad pāstōrem suum currunt.

Faustīnus ovem nigram in terrā pōnit sub arbore.

Ovis bālat: “Bābā!”

Pāstor ovēs numerat: “Ūna, duae, trēs, quattuor, quīnque.....”

Dum ovēs ā pāstōre numerantur, vir irātus accurrit. Est Rūfus, quī parvam villam cum hortō prope silvam habet.

Rūfus irātus baculum ante sē tenet et clāmat: “Ō improbe pāstor! Ovēs tuae in hortō meō sunt!”

Faustīnus: “Quid agunt ovēs meae in hortō tuō?”

Rūfus: “Rosās meās edunt.”

Faustīnus: “Ovēs nōn rosās, sed herbam edunt. Neque ovēs meae ā pāstōre suō abeunt. Quot ovēs sunt in hortō tuō?”

Rūfus: “Quattuor.”

Faustīnus: “Nōn meae sunt illae ovēs. Ecce ovēs meae, quae apud mē sunt. Numerus eārum est centum. Age, numerā eās!”

Rūfus ovēs aspicit, neque eās numerat.

Rūfus: “Hic centum ovēs nōn sunt.”

Faustīnus: “Sunt centum. Nūlla ovis abest.”

Ecce autem quattuor ovēs albae accurrunt! Post eās venit parvus  
canis irātus, quī ūnam ovem dentibus petit.

Rūfus: “Ecce Persa, canis meus, quī cum ovibus tuīs venit.”

mordēre = dentibus  
petere

Faustīnus: “Vocā canem tuum! Ovem meam mordet!”

Rūfus: “Persa, venī!”

Canis irātus nōn venit, sed ovem mordet. Ovis, quae mordētur,  
bālat: “Bābaā!”

Iam canis pāstōris parvum canem videt et ad eum currit.

Persa sē vertit ab ove ad canem pāstōris, quī ante eum cōsistit  
et dentēs ostendit.

Canis pāstōris lātrat: “Baubaubau!”

Parvus canis, quī magnum canem timet, nōn lātrat, sed ululat:  
“Uhuhū!” et ad dominum suum currit.

Ovēs quattuor, quae canem parvum iam nōn timent, laetae ad  
pāstōrem adeunt et ad eum bālant.

Rūfus: “Ovēs dominum suum amant. Nōnne tuae sunt?”

Faustīnus: “Nūllae ovēs meae iam sunt in hortō tuō.”

Rūfus: “Sed vestīgia ovium tuārum in hortō meō sunt.”

Faustīnus: “Et in collō ovis meae sunt vestīgia dentium canis tuī!

Canis ille parvus tam malus est quam lupus!”

Rūfus: “Immō bonus canis est Persa. Canis meus ovēs nōn ēst.”

Faustīnus: “Neque ovēs meae rosās edunt.”





COLLOQVIVM DECIMVM

*Persōnae: Iūlia, Syra*

Iūlia et Syra in hortō ambulant cum Margarītā, cane Iūliae parvā et crassā. Sōl lūcet in caelō sine nūbibus. Iūlia laeta canit.

Canis eam canere audit et caudam movet.

Ecce avis ante canem volat. Canis avem ante sē volāre videt et currit, sed avis iam procul ā cane est. Canis, quae avem capere vult neque potest, irāta lātrat: “Baubau!”

Iūlia canem suam vocat: “Margarīta! Veni!”

Canis cōsistit et ad Iūliam, dominam suam, currit.

Syra: “Necesse nōn est canem vocāre, neque enim canis avēs capere potest.”

Iūlia: “Sed avēs canem timent.”

Canis iam fessa iacet ad pedēs Iūliae. Syra canem crassam in herbā iacēre videt eamque spīrāre audit.

Syra: “Canem tuam crassam nūlla avis timet.”

Iūlia: “Margarīta nōn est crassa!”

Canis aspicit Iūliam et caudam movet.

Iūlia: “Sed cūr nōn canunt avēs? Quid timent?”

Syra: “Nōn canem fessam, sed avem feram timent.”

Iūlia: “Quam avem feram?”

Syra magnam avem quae suprā hortum volat digitō mōnstrat:

“Ecce avis fera quae ā parvīs avibus timētur.”

Iūlia caelum aspicit et magnam avem suprā sē volāre videt. Avis magnīs ālis sustinētur, neque Iūlia ālās movērī videt.

Iūlia: “Quae est illa avis?”

Syra: “Est aquila, quae cibum quaerit.”

Iūlia: “In caelō cibum reperīre nōn potest.”

Syra: “Nōn in caelō, sed in terrā cibum quaerit. Aquila enim bonōs oculōs habet et parva animālia procul vidēre potest.

Aquila est avis fera, quae aliās avēs capit et ēst.”

Iūlia: “Avis improba est aquila!”

Syra: “Magna aquila etiam parvam puellam capere potest et ad nīdum suum portāre.”

Iūlia: “Quid? Mēne aquila portāre potest?”

Syra Iūliam aspicit: puella tam crassa est quam canis sua. Syra rīdet neque respondet. Iūlia eam rīdēre nōn videt, nam caelum aspicit neque iam aquilam videt.

Iūlia: “Iam abest aquila.”

Syra: “Est apud nīdum suum.”

Iūlia: “Ubi est nīdus aquilae?”

Syra: “Procul in monte est, quō nēmō potest ascendere. Puerī nīdum aquilae reperīre nōn possunt.”

Iūlia: “Sed aliōs nīdōs reperīre possunt. Ecce puerī quī nīdōs quaerunt in arboribus.” Iūlia Mārcum et Quīntum in umbrā inter arborēs errāre et nīdōs quaerere videt.

Iūlia et Syra in sōle sunt.

Syra: “Venī in umbram, Iūlia!”

Iūlia canem, quae ad pedēs eius iacet, pede pulsat: “Age, curre, Margarīta crassa!”

Syra canem aspicit, et rīdet. Etiam Iūlia rīdet.

Margarīta ante Iūliam currit ad parvam arborem. Canis caudam movet et lātrat: “Baubau!”

Ecce avis perterrita ex arbore volat. Iūlia et Syra cōsistunt ante arborem, unde parvae vōcēs audiuntur: “Pīpīpī, pīpīpī!”

Iūlia Syram interrogat: “Quid hoc est?”

Syra rāmōs et folia arboris movet et inter rāmōs parvum nīdum videt. Syra nīdum prope aspicit.

Syra: “Ecce nīdus in quō quīnque pullī sunt. Aspice, Iūlia!”

Iūlia nīdum aspicit, neque pullōs videt, quia nimis parva est.

Iūlia, quae pullōs aspicere vult, imperat: “Impōne mē in umerōs tuōs, Syra!”

Syra: “Umerī mei tē portāre nōn possunt.”

Iūlia: “Sustinē mē tantum!”

Syra Iūliam ā terrā sustinet. Iam puella pullōs videt in nīdō.

Pullī autem tacent neque iam pīpīant.

Iūlia: “Ō, quam parvī sunt! Cūr nōn pīpīant neque sē movent?”

Syra: “Quia perterritī sunt; tē enim vident.”

Iūlia: “Pullī mē vidēre nōn possunt, neque enim oculōs aperiunt.”

Syra fessa puellam crassam in terrā pōnit.

Syra: “Sed vōcem tuam audiunt pullī — et māter pullōrum tē nōn solum audit, sed etiam videt. Audī: avis pīpiat, quia ad nīdum suum adīre nōn audet.”

pullus pīpiat:  
“pīpīpī!”

Audītur vōx Mārci: “Venī, Quīnte! In hāc arbore nīdus est.”

Iūlia: “Ō, Mārcus nīdum videt.”

Syra: “Discēde ab arbore, Iūlia! Mārcus alium nīdum videt, hunc nīdum reperīre nōn potest.” Iūlia et Syra cum cane ab arbore discēdunt. Avis eās discēdere videt et ad nīdum suum volat.

Pullī, quī mātrem suam venīre vident, rūsus pīpīant:

“Pīpīpī!” Pullī cibum exspectant.

Avis pullīs suīs cibum dat.



māter (nōm)  
mātrem (acc)



COLLOQVIVM VNDECIMVM

*Persōnae: Sextus, Fabia*

Cornēlius et Fabia, quī Tūsculī habitant, ūnum filium, Sextum, habent. Sextus Tūsculī apud mātrem suam est, sed Cornēlius abest. Fabia virum suum exspectat.

māter mātris *f*

Sextus mātrem interrogat: “Cūr nōn venit pater?”

Fabia: “Rōmā Tūsculum via longa est.”

Sextus: “Nōn longa est via. Atque bonum equum habet pater.”

Fabia: “Equus bonus est. Cornēlius equum suum amat neque eum verberat; itaque equus nōn currit, sed ambulat.”

Sextus: “Estne sōlus pater?”

Fabia: “Nōn sōlus, nam equus est apud eum.”

pater patris *m*

Sextus: “Cūr nūllus servus apud patrem meum est?”

Fabia: “Quia pater tuus ūnum tantum equum habet, neque ūnus equus duōs hominēs Tūsculō Rōmam vehere potest.”

Sextus: “Cūr pater meus ūnum tantum equum habet? Pater Mārci multōs equōs habet.”

Fabia: “Quis dīcit ‘Iūlium multōs equōs habēre?’”

Sextus: “Mārcus id dīcit.”

Fabia: “Quot equōs habet Iūlius?”

Sextus: “Mārcus dīcit ‘patrem suum decem equōs fōrmōsōs habēre.’ Cūr pater meus decem equōs nōn habet?”

Fabia: “Quia pater tuus nōn tam pecūniōsus est quam pater Mārci. Iūlius magnam familiam habet et magnam vīllam.”

Mārcus: “Pater meus X equōs habet.”

M. dīcit ‘patrem suum X equōs habēre’

magnam familiam = multōs servōs

Sextus: “Quot servōs habet Iūlius?”

Fabia: “Interrogā Mārcum!”

Sextus: “Mārcus dicit ‘servōs eius numerārī nōn posse!’”

Fabia: “Iūlius habet centum servōs, ut ipse dicit — sed Mārcus centum numerāre nōn potest!”

Fabia Mārcum puerum stultum esse putat.

Sextus: “Mārcus nōn potest centum servōs numerāre, sed decem equōs numerāre potest! Cūr Iūlius, quī decem equōs habet, patrī meō equum nōn dat? Nōnne Iūlius amīcus patris est?”

Fabia: “Est. Sed Iūlius multōs amīcōs habet.”

Sextus: “Quid Iūlius nōn habet?”

Fabia: “Cornēlius quoque multōs habet amīcōs. Pecūniōsus nōn est vir meus, sed bonus vir, bonus pater, bonus amīcus est.”

Sextus: “Etiam Iūlius bonus pater est. Cum revenit ex oppidō, liberīs suīs multa dōna dat.”

dōnum -ī n = id  
quod datur

Fabia: “Quī magnam pecūniam habet, multa et magna dōna emere potest.”

Sextus: “Nec solum liberīs suīs, sed etiam matrī eōrum magna dōna dat. Māter Mārcī multa ōrnāmenta accipit ā virō suō. Mārcus dicit ‘mātrem suam et gemmīs et margarītīs et ānulis pulchrīs ōrnārī nec aliam fēminam tam fōrmōsam esse..’”

Fabia: “Num māter Mārcī sine ōrnāmentīs tam fōrmōsa est quam māter tua?”

Sextus: “Nūlla fēmina tam pulchra est quam māter mea!”

Fabia verbīs filiī dēlectātur eumque interrogat: “Quis id dicit?”

Sextus nōn respondet, nam equum accurrere audit.

Sextus: “Audī! Pater venit. Equus eius nōn ambulat, sed currit.”

Fabia: “Quid est? Cūr equus currit? Age, exī ante ōstium!”

Exit Sextus.

Cūr equus Cornēliī currit? Vidē colloquium duodecimum!

duo-decimus -a -um  
= XII. (12.)